

Psalmus 4

- 1 Cum invocarem exaudivit me Deus justitiae meae:
in tribulatione dilatasti mihi.
- 2 Miserere mei,
et exaudi orationem meam.
- 3 Filii hominum, usquequo gravi corde?
ut quid diligitis vanitatem et quaeritis mendacium?
- 4 Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanctum suum:
Dominus exaudiet me cum clamavero ad eum.
- 5 Irascimini, et nolite peccare:
quae dicitis in cordibus vestris,
in cubilibus vestris compungimini.
- 6 Sacrificate sacrificium justitiae, et sperate in Domino.
Multi dicunt: Quis ostendit nobis bona?
- 7 Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:
dedisti laetitiam in corde meo.
- 8 A fructu frumenti, vini et olei sui,
multiplicati sunt.
- 9 In pace in idipsum
dormiam et requiescam.
- 10 Quoniam tu, Domine, singulariter in spe
constituisti me.